



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. S. Basilius de vitæ duce sollicitus, Euangelij de venditione bonoru[m],
velut sortiaria lectione, ad perfectionem directus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Verūm videamus etiam conuersionū exempla. S. Basilii de se ipso scribit sequentia: *Ego cum multum temporis, in vanitate consumpsissem, & totam ferme iuuentutem meam in vano labore perdidissem, quem in disciplinarum sapientia à Deo infatuata perceptiōne conuersatus insumpsi: postquam aliquando velut ex somno profundo expergefactus, ad admirandam veritatis Euāgelij lucem respexi, & inutilitatem sapientie principum huius seculi exoletorum conspexi: miserabili vita mea multum deplorata, optabam mihi dari manu ductorem ad introductionem, ad dogmata veritatis. Et prae omnibus sanè multam curam adhibebam, vt correctionem aliquam morum facerem, multo iam tempore ex malorum conuersatione corruptorum. Itaq; vbi legissem Euāgelium, & vidissem illic maximam occasionem ad perfectionem, venditionem bonorum, & distributionem in indignos fratres, & in summa nullam huius vite curam habere, & à nulla affectione ad vite res animam conuerti: optabam inuenire aliquem fratrem qui hanc vite viam elegisset, vt vna cum ipso hanc profundam vite inundationem penetrarem. Et sanè multos inuenimus in Alexandria, multos etiam per reliquam Aegyptum. Et alios in Palestina cauaq; Syria ac Mesopotamia: Quorum quidem admirati sumus circa victum abstinentiam, admirati sumus item tolerantiam in laboribus, consternauit me etiam ipsorum in orationibus intentio, & quomodo somnum superabant, & à nulla naturali necessitate inflectebantur, aliam semper & nulli seruituti obnoxiam animi constantiam conseruantes, in fame & siti, in frigore & nuditate, non corporis cura intenti, neq; sustinentes vt aliquam ipsi curam impenderent, sed velut in aliena carne degentes, opere commonstrarunt, quid sit cohabitare rebus in hac vita, & quid conuersationem habere in celo. Illa admiratus, & beatā predicatā virorum vitā, qui opere ostendunt mortificationem Iesu in corpore se circumferre; optabam etiam, quantum eius à me fieri posset, illorum virorum imitator esse.*

V.
S. Basil. ep.
78. ad Eustathium
Sebastæ Episc.

Quod Basilio accidit, etiam Augustino, & quidem luculentius euenit, ab Alipio secedenti, ac lachrymis suis, animique luctu, solitudinem petenti. *Ego, inquit, sub quadam sici arbore, stratus me, nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia, multa dixi tibi: Et tu, Domine, vsquequo? Vsquequo, Domine, irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles. Quamdiu, quamdiu, cras & cras? Quare*

VI.
S. Aug. l. 8.
Confess. cap.
12.
Psal. 6.
Psal. 12.
Psal. 78.

Ti 3 non mo-